



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Polemica

Burghaber, Adam

Fribvrgi Helvetiorvm, 1678

LXVII. De Comparatione Sacramentorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72462](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72462)

nec characterem suscipiat, qui solus, si addit, reiterationem baptismi prohibet. Ad 4. Fidem illam fiduciam esse fictitiam, ut alibi diximus. Cæterum ad valorem baptismi nec fidem veram, nec pietatem suscipientis requiri, tenent omnes catholici ex certa sententia & traditione Ecclesie quæ baptismum etiam ab hæreticis, & erga hæreticos administratum valere constat, ut docent etiam S. Augustinus Lib. 3. contra Donatistas cap. 14. atque alibi. S. Gregorius Lib. 9. epist. 61. & alij Patres. Ratio esse potest, quia aliud est Sacramentum, aliud effectus Sacramenti; & sicut Sacramentum non dependet à suo effectu, ita nec à dispositione ad effectum; quin autem ex parte suscipientis necessaria sit fides, ut baptismus ab adulto fructuose suscipiatur, non negamus. Ad 5. tamen hoc verum sit, loquendo de gratia sanctificante, DEUS tamen eam solet per certa media & accommodatè ad dispositionem recipientis, si adultus sit, conferre. In proposito autem est talis dispositio, ob quam Christus merita sua ita voluit applicare, ut in Sacramentis major gratia magis disposito conferretur. Ad 6. denique cum Arriaga Disp. 10. n. 69. negando consequentiam. Quia Christus ipse, qui applicuit sua merita Sacramentis, ita ea applicuit, ut voluerit majorem causari gratiam juxta meliorem dispositionem; non quod ea dispositio se habeat per modum causæ respectu illius gratiæ, sed quia est per modum conditionis. Discrimen autè inter causam moralem & dispositionem consistit in diversitate affectûs divini, quo tendit in illa, & in prædicato diverso, vi cuius movet Sacramentum & dispositio; Sacramentum enim movet ut operatio facta nomine Christi, adeoque ut habens in se dignitatem movendi & impetrandi id, quod Christus petit. Unde, quantum est ex se, Sacramentum habet vim movendi ad gratiam dandam etiam sine ulla dispositione; si Christus eam non exigeret, sicuti de facto non exigit illam in infantibus quoad baptismi gratiam; requirit tamen etiam in adultis characterem ad gratiam aliorum Sacramentorum. Sacramentum igitur movet in actu primo ad dandam gratiam omni illi, cui Christus eam voluerit conferri. At in adultis non vult Christus illam conferri, nisi ut dispositio hoc vel illo modo. Ergo non ex defectu Sacramenti, sed ex voluntate restrictiva Christi provenit, ut ex parte subjecti dispositio attendi debeat. Dispositio è contra non movet hoc modo, utpote carens hujusmodi radicali dignitate, & supponit aliud motivum dignificatum & potens movere, quantum est in se independentè à dispositione. Videatur citatus Author.

CONTROVERS. LXVI.

DE COMPARATIONE SACRAMENTORUM.



Acramenta vera & propria in utraque Lege tam Antiqua scil. quàm Nova fuisse, extra omnem Controversiam est. Quomodo autem se habeat, in utraque paris sint efficaciam quoad gratiam, justificationem, & salutem hominibus conferendam, non convenit inter Catholicos & Sectarios hujus

temporis; quæ lis impræsentiarum decidenda est.

PARS PRIOR.

DOCTRINÆ CATHOLICORUM.

I. *Doctrina prima.* Sacramenta Antiquæ Legis non causabant gratiam, sed eam solum per Passionem Christi dandam esse figurabant: Sacramenta verò Novæ Legis & continent gratiam, & ipsam dignè suscipientibus conferunt. Ita in terminis Concilium Florentinum in decreto Eugenij in instructione Armenorum §. 5. Addit Tridentinum Sess. 7. can. 8. *Sacramenta nostratia nonponentibus obicem conferre gratiam ex opere operato.* Ex his supra jam fusius explicatis cum satis constet, Sacramenta Novæ Legis aliquo modo in genere causæ Efficientis concurrere & causare gratiam; restat tamen dubium, moraline tantum, an etiam physico influxu non quidem per potentiam merè naturalem, sed obedientialem id præstent? De cetero hujus non quidem est hujus fori, sed planè ad Scholasticos spectat; quia tamen Amesius Tom. 3. fol. 20. insulsè exprobat Bellarmino, quasi cautè difficultatem hanc declinasset, placet paucis aperire mentem nostram, quo modo Sacramenta nostra gratiam producant.

II. Supponimus ex Philosophia, dari potentiam Obedientialem in omni genere causæ, quæ creatura elevata aliquid supra naturæ vires causat atque hanc potentiam Obedientialem activam dari in quavis entitate (salte quæ supra naturam productiva est) ad quemlibet effectum producendum, cum nulla hujus appareat implicancia. Nam imprimis talis potentia absolute & intrinsecè esset naturalis, utpote identificata enti naturali, & solum extrinsecè supernaturalis, quia ad terminum supernaturalem. Deinde est intellectus produceret v.g. volitionem, non tamen diceretur volens, sed habens volitionem, quia illud vitale etiam certum subjectum requirit. Denique prædicta potentia foret infinita extrinsecè solum ratione connotati, non autem intrinsecè ratione propriæ entitatis. Hæc igitur Potentiâ obedientiali Sacramenta, per se loquendo, & ubi nihil obstat, physice concurrere ad producendam gratiam, adeoque esse instrumenta gratiæ physica, docent omnes Thomistæ cum S. Thomâ 3. part. q. 62. art. 1. 2. & 3. item valentia, Suarez, Henriquez, Tanner Tum. 4. Disp. 3. Q. 3. n. 47. & eandem sententiam expressè sequitur Bellarminus Lib. 2. de Sacrament. in genere, c. 11. ut non nisi impudenti mendacio illam declinasse ab Amesio dicatur. Sed præter hanc Causam Physicam est alia Causa Moralis, quæ mediâ sui cognitione movet moraliter agens liberum intuitu ipsius ad aliquid physice producendum. Atque hæc causâ Morali solum Sacramenta nostra causare gratiam, hoc est, movere DEUM mediâ cognitione sui & meritorum Christi ipsis applicatorum ad producendam physice gratiam, docent Vasquez, Coninck Præpositus, Cardinal. Lugo, Arriaga de Sacrament. in communi D. 10. à n. 11. & plures alij, Hoc posito.

III. Do-

III. *Doctrina secunda.* Sacramenta nostra tantum Moraliter influunt & causant gratiam, hoc est, movent DEUM ad gratiam illam producendam. Probat 1. Concilia & Patres, quando dicunt, Sacramenta causare gratiam, eodem modo loquuntur de verbis, ac de materia Sacramentorum, & vicissim. Atqui si Sacramenta non moraliter, sed physice causant gratiam, vix possunt ejusmodi locutiones verificari; Nam vel verba absolvuntur physice ante applicationem materiae, vel hæc fit ante finem verborum; & moraliter ferme impossibile est, ut in eodem instanti temporis Actio externa & verba simul terminentur. Ergo non potest nisi in aliquo casu accidentali physice causari gratia à verbis simul & rebus, quæ sunt duæ partes Sacramenti; gratia enim non causatur nisi in ultimo instanti, quo Sacramentum totum perficitur. Patres igitur, qui non attendendo ad mathematicam simultanéitatem verborum & rerum absolute docent, tam à verbis, quam à rebus gratiam produci, non possunt de productione physica, sed de morali explicari. Probat 2. Quia supposita communi explicatione causæ Moralis, quod scilicet, ut diximus, mediâ sui cognitione moveat moraliter Liberum Agens, negari non potest Sacramentis causalitas moralis in gratiam. Nam sive DEUS se solo gratiam physice producat, sive assumat secum simul eadem Sacramenta, ut instrumentum physicum; & cum eis producat gratiam, certissimum est, ad id non procedere ac moveri DEUM, nisi ex prævisione eorumdem Sacramentorum existentium. Probat 3. solutione fundamentorum, quibus nostra doctrina oppugnatur; si enim nulla erit necessitas, hanc miraculosam elevationem admittendi, consequens est, ut Sacramentis non nisi moralis causalitas tribuatur.

IV. *Primum* igitur desumitur ex S. Scriptura, & maxime ex verbis illis ad Titum 3. v. 5. *salvos nos facit per lavacrum regenerationis & renovationis spiritus s. quem effudit in nos abunde per JESUM Christum Salvatorem nostrum.* Unde sic Adversarij argumentantur. DEUS ut causa physica non dicitur operari per causam moralem, à qua movetur ad operandum. Sed potius è contra causa moralis dicitur operari per causam physicam. Ergo si DEUS gratiam produxit per Christum & Baptismum; debet utriusque causalitas esse physica. Respon. distinguendo; causa physica non dicitur operari per moralem, à qua movetur, si hæc secundum rationem movendi non sit illius ipsius causæ physicae effectus, conceditur: secus, negatur. Merita autem Christi & Baptismus sunt verissimi effectus & beneficia DEI, & quidem in hunc finem data, ut DEUS inde moveri posset ad gratiam nobis conferendam. Cur igitur Deus dici nequeat, per hæc ipsa conferre nobis gratiam, etiam si moraliter tantum influant. *Secundum* petitur ex Autoritate Conciliorum & Patrum, maxime verò S. Ambrosij, qui Lib. 1. de Sacramen. c. 5. scribit: *non sanat aqua, nisi spiritus s. descenderit, & aquam consecraverit.* Respon. nihil inde contra nos evinci. Quæ Concilia & Patres affirmant de Sacramentorum vera & propria causalitate; de verborum vi, de ratione instrumenti alijsque rectius morale eorum, quam physicum influxum sonant; ut bene advertit Card. Lugo D. 4. à num. 50. S. Ambrosius dicere so-

lùm vult, quod aqua, quæ in Baptismo adhibetur, non sanaret à peccato, nisi à Christo fuisset Baptismus institutus, annuente S. Spiritu, cujus opus est Sacramentorum institutio; & quod inde de physico porius influxu, quam morali? *Tertium* ex absurdo depromitur, quasi sic nostra Sacramenta plus virium ad suos effectus non haberent, quam verba aut signa magica à dæmone instituta ad suos. Respon. negando paritatem; licet enim utraque signa & magica & sacra in hoc conveniant, quod non influant physice, differunt tamen, quod sacra ordinentur ad effectum supernaturalem, & nitantur potentiâ & promissione infallibili DEI: magica verò tantum ordinentur ad effectum naturalem, & nitantur fallaci dæmonis promisso, sintque fortasse, ut putat Lugo n. 67. potius mera conditio, quam causa moralis. Sed quænam est illa Bonitas, quæ objective posita DEUM movet ad gratiam suscipientibus dandam? Dicimus, esse autoritatem Christi, ejusque merita talibus cæremonijs alligata, & à Patre ad talem effectum impetrandum accepta; quia ex communi Doctorum Sacramenta nostra sunt moraliter Actiones Christi, juxta illud 1. Cor. v. 1. *Sic nos existimet homo, ut Ministros Christi &c.* Unde eadem instrumentaliter subserviunt Christo & DEO tanquam causis Principalibus; Christo quidem, quia ejus merita & autoritatem repræsentant, qui ut sic est causa Principalis Moralis: DEO verò, quatenum ipse est primus movens, qui Humanitatem Christi movit ad hoc, ut signis & Actionibus suam autoritatem communicaret.

V. *Doctrina tertia.* Sacramenta vetera non contulerunt adultis gratiam ex opere operato. Ità hodie omnes Catholici Doctores contra nonnullos veteres apud Tannerum. 4. D. 3. Q. 3. n. 20. Nam in circumcissione (eadem est ratio de cæteris Sacramentis) non conferebatur major gratia adultis, quam suâ fide & dispositione mererentur; unde peccator tantum attritus per eam nullo modo justificabatur. Ergo tota illa gratia dabatur præcisè ex opere operantis. Consequentia est clara. Antecedens latissime probat Card. Bellarminus lib. 2. de Sacramen. in tom. à cap. 13. Nos breviter id suademus 1. ex Sacra Scriptura. Hebr. 7. v. 18. *Reprobatio quidem sit præcedentis mandati propter infirmitatem & inutilitatem.* Ibid. cap. 9. cum dixisset Apostolus, munera oblata in veteri Lege non habuisse vim, ad emundandum à peccato, subiungit vers. 9. *solummodo in cibis & in potibus & varijs baptismatibus & justitijs carnis usque ad tempus correctionis impositis &c.* Et infra v. 13. *Si enim sanguis hircorum & taurorum & cinis vitule aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis &c.* Ubi D. Paulus antiquis cæremonijs nihil aliud tribuit, quam emundationem carnis, seu munditiam legalem, ne aliquis scilicet pollutus conferetur & inhabilis ad sacrificandum, seu Templi ingressum, ut notat Vasquez. in 1. 2. D. 184. c. 1. n. 4. Hinc idem Apostolus ad Rom. 4. v. 2. & 10. allerit, *Abrahamum non fuisse justificatum ex circumcissione, sed ex fide.* q. d. per circumcissionem non accepisse plus gratiæ, quam ejus fides mereretur. 2. suademus ex Concilijs & Patribus. Florentinum supra Doct. primâ citatura definit, *Sacramenta Novæ legis differre à Sacramentis antiquæ legis, quod illa conferant & contineant gratiam* (scilicet).

(scilicet ex se & vi ipsius operis) non ista, sed gratiam per Christum dandam solum figurent; in quem sensum Tridentinum Sess. 7. can. 2. de Sacramen. in genere decernit: *siquis dixerit, ea ipsa Novae Legis Sacramenta à Sacramentis antiquae Legis non differre, nisi quia ceremonia sunt alia, & alij ritus externi, anathema sit.* Concilij accedunt Patres, quorum 21. testimonia recitat Bellarmin. loc. cit. Labet hic folius D. Augustini verba adducere ex Tta. in Plal. 73. ubi sacramenta, inquit, *Novae & Vet. Legis, non sunt eadem, quia alia sunt Sacramenta dantis salutem: alia promittentia Salvatorem; Sacramenta Novae Legis dant salutem: Sacramenta veteris Legis promittunt Salvatorem.* Quae verba ita clara sunt, ut nullus modernorum Praedicantium nec mutire contra illa audeat. Calvinus L. 4. Inst. c. 14. §. 26. olim dixerat, S. Patrem non loqui de efficacia, sed de significatione. At S. Augustinus aperte dicit, nostra Sacramenta dare salutem, non significare duntaxat Salutem. 3. Suademus ratione. Quia ante Christi adventum & passionem ejus, quae est in genere meriti principalis causa gratiae, & à qua etiam omnis vis ad Sacramenta derivatur, non decebat, ullum opus externum per se ac vi sua efficacitatem habere ad gratiam conciliandam, sed potius conveniebat, ut solum ratione Fidei in Christum, cujus erant protestationes, ad justificationem valerent. Ergo nullum Sacramentum verus contulit gratiam ex opere operato. Videri potest S. Thomas in 3. part. q. 62. art. 6. & in 4. Dist. 1. art. 5. quaest. 1.

VI. Haec doctrina, ut ut hodie communis sit inter Catholicos Doctores, fuerunt tamen, ut diximus, nonnulli veteres, qui de circumcisione & Sacramento legis Naturae aliter sentirent, rati illud saltem parvulis contulisse gratiam ex opere operato. Pro hac lite igitur dilucide decidenda & doctrina nostra universim stabienda tria eidem puncta adjicimus. *Primum.* Sacramenta vetera circumcisio scilicet ac Remedium Legis Naturae profuerunt Parvulis ad tollendum peccatum Originale & salutem aeternam acquirendam. Ita Innocentius III. Papa in cap. Majores, de Baptismo. Ubi licet hanc doctrinam non definiat, eam tamen clare supponit, ita ait: *quoniam est originalis culpa remittebatur per circumcisionis mysterium &c.* Innocentio ad stipulantur omnes Scholastici, inquit Tanner Quaest. cit. n. 144. nominatim Magister, D. Thomas, S. Bonaventura, Richardus, Scotus, Durandus & Alensis, qui ipsi copiose etiam Patres pro se adducunt. *Secundum.* Eadem Sacramenta vetera, in quorum usu parvuli justificabantur, non fuerunt causae physicae aut morales gratiae, sed merae conditiones, quibus positis movebatur DEUS ad dandam parvulis gratiam; non tamen ab ipsa caeremonia externa, sed à solis meritis Christi per fidem alienam (ritu illo externo expressam) parvulis applicatis. Ita post plures alios Arriaga Disp. 10. de Sacram. in com. num. 31. & habetur ex dictis. Nam sacra Concilia & Patres dicunt, Sacramenta vetera non continuisse, nec causasse gratiam; hoc autem universale discrimen omnium veterum & Evangelicorum Sacramentorum quoad efficaciam gratiae optime hanc viam defenditur; cum ex una parte negari non possit, parvulos in usu Sacramentorum fuisse tunc justificatos; ex altera verb affirmari nequeat, Sacramentum illud fuisse ve-

ram causam physicam aut moralem gratiae. *tertium.* Praedicta vetera Sacramenta non justificaverunt parvulos ex opere operato. Ita cum S. Thoma q. cit. art. 6. communiter sentiunt Theologi. Nam conferre gratiam ex opere operato est conferre illam ex vi institutionis suae. Atqui absolute loquendo non recte dicimus, collatam omnino fuisse gratiam ex vi illius veteris Sacramenti, ut patet ex locutionibus Conciliorum ac Patrum &c. Tenendum igitur, gratiam illam neque ex opere operantis, neque ex opere operato fuisse parvulis collatam, sed ex speciali DEI providentia ob extremam parvulorum necessitatem, qui proprijs actibus salvari non poterant.

VII. Sic stabilitae doctrinae nostrae non obstat D. Paulus diversis in locis Epistolarum suarum affirmans, Legem veterem (sub qua etiam circumcisio comprehendit) nullam habuisse vim justificandi; unde etiam ad Galat. 4. v. 9. & ad Hebr. 7. v. 18. *vetera Sacramenta dicit infirma, agenda, inutilia elementa.* Nam S. Apostolus majore ex parte fecit comparationem inter Judaeos seu Circumcisos, & Gentes seu Praeputium; & sicut istis Gentibus non negavit remedium contra peccatum originale in parvulis, ita non negavit circumcisioem apud illos Judaeos habuisse eam vim, sed solum docuit, Judaeos circumcisos non habere, unde glorientur, & alios contemnunt; nisi quod illis Eloquia sacra sint credita; non igitur vocat circumcisioem prorsus vacuum & inutilem, sed solum contendit, illam praeter alijs nihil habere amplius. In eundem etiam sensum loquuntur Patres non nisi specialem omnem utilitatem circumcisioem praeter praeputium negantes. Concilium autem Florentinum recte antiqua Sacramenta à nostratibus in hoc distinguit, quod haec causant gratiam, illa vero non; etenim nostra causant gratiam tanquam causa moralis: antiqua vero solum uti conditio; ut proinde haec respectu illorum non male dici possint non causare gratiam, quia revera non sunt causa sive physica sive moralis, ut paulo supra diximus. Ceterum discrimen inter causam moralem & conditionem sine qua non Arriaga alijque Doctores non male desunt ab amore & cognitione; & ea solum in genere moris dicuntur conditiones, quae concurrunt ut cognita, non vero ut amata: e contrario ea vocantur causas morales, quae ob bonitatem suam praecognitam allieunt; non quae sine ullo amore pure cognita determinant. Cum ergo Sacramenta nostra tanquam Actiones Christi moveant DEUM ut cognita & amata: Antiqua utpote destituta bonitate illa Actionum Christi solum concurrant ut cognita, recte illa diximus esse causas morales: haec vero meras conditiones appellavimus. Ex hoc autem, quod Sacramenta nostra ut actiones externae Christi moveant, non sequitur, movere illa pure denominative & per accidens. Nam Sacramenta nostra non causant gratiam per modum meriti, sed impetrationis seu orationis; inter quam impetrationem & meritum intervenit hoc discrimen, quod meritum ita praecise consistat in voluntate interiore, ut exterior actio ei addita omnino per accidens se habeat, neque augendo neque minuendo illud; at in ordine ad orationem seu impetrationem ipsa actio exterior etiam concurrat, ita ut si haec non sequatur,

etiam illa impetratio non sequatur. Unus igitur idemque actus Christi interior, & in seest meritorius: & informat actionem exteriorem, ut præter alios Arriaga de Sacram. in com. D. 18. n. 53. pluribus id bene declarat.

PARS POSTERIOR.

ERRORES HÆRETICORUM.

VIII. **E**rror primus. Etiam veteris Testamenti Sacramenta fuerunt efficacia media gratiæ, remissionis peccatorum, & salutis hominibus offerendæ ac credentibus conferendæ. Ita cum Lutheranis Gerhardus Lib. 2. part. 2. à fol. 828. & cum Calvinianis Amesius Tom. 3. à fol. 36. Probant 1. Apostolus 1. Cor. 10. disertè testatur, quod Patres eandem escam spirituales manducarunt, & eundem potum spirituales biberunt, quem etiam affirmat fuisse Christum, & inde tanquam à pari concludit, non minus confidendum esse Sacramentis Novi testamenti. Probant 2. Circumcisio à prima sua institutione habuit promissionem illam annexam, quæ nulla est major: *ero DEUS tuus & semini tuo post te Gen. 17.* quam Christus ita interpretatur Matth. 22. *ut vitam æternam in illa doceat contineri.* Et Paulus ad Ephes. 2. v. 13. ostendit, *spem vivam ex illa dependere.* Probant 3. Promissio gratiæ Evangelij propriæ non solum extendit se ad tempus Novi, sed etiam veteris Testamenti, atque ad utrumque pertinet Act. 15. v. 11. Ergo etiam Sacramenta verbo promissionis addita tam in Veteri, quam Novo Testamento sunt gratiæ, media, & sigilla. Probant 4. Temporaria Vet. Testamenti Sacramenta v. g. transitus per mare rubrum, commoratio sub Nube, eruptio aquæ de petra ac potio &c. item Sacrificia ad remissionem & justificationem valuerunt. Ergo multò magis hoc perpetuis & ordinarijs Sacramentis Vet. Testamenti tribuendum.

IX. Contra hunc errorem stat planè Sacra Scriptura. Nam præter allata priore parte dicit Apostolus Rom. 3. v. 20. *per legem (tantum) fuisse datam cognitionem peccati.* Ibid. c. 4. v. 15. *legem non iustitiam, sed iram operatam fuisse.* Gal. 3. v. 19. *legem propter transgressionem positam.* Quibus locis universim infirmitas antiquæ legis ad hominem justificandum declaratur, utique includendo etiam ipsa Sacramenta ejusdem. Argumenta ex dictis jam apparent dissoluta.

X. Respon. ad 1. quod magni facit Calvinus Lib. 4. Instit. cap. 14. §. 25. sed nihil ex eo convinci, egregiè ostendit Bellarminus Lib. 2. cit. c. 17. tria in eo expendens. Primò particulam eandem; dicuntur quidem Patres eandem escam manducasse; non autem, quia est eadem esca illorum solum omnium; nec esca illa ac potus fuisse Sacramenta; etenim bestia etiam biberunt ex petra, & manna sumpserunt &c. Amesius succurrens Magistro suo certum est, inquit fol. 40. eundem illorum potum fuisse cum nostro, si Christus sit noster; quia v. 4. dicitur: *petra illa erat Christus.* Sed istud certò falsum est; nec leviter probari potest, aquam illam fuisse Sacramentum. Secundò particulam spirituales Apосто-

lus manna, & aquam de petra seaturientem vocat cibum spirituales non propter effectum seu gratiam Sacramentalem, sed propter causam & significationem; utrumque enim miraculose producebatur operâ Angelorum. Unde psal. 77. v. 25. dicitur *panis Angelorum*, non quod illo vescerentur, sed quod eum fecerint; nec ait Paulus, illos bibisse spirituales petram, id est Christum, sed aquam ex petra spirituali, id est, Christo tanquam ex causa efficiente promanantem. At Amesius, aliquo modo illam aquam fuisse spirituales. Sed non ostendit hunc modum, aliquam scilicet institutionem ceremoniæ sacræ, quæ promissionem gratiæ habeat adjunctam. Tertio *supponit Apostoli*, qui non intendit ostendere, non esse nimium confidendum in Sacramentis: sed potius non esse abutendum Sacramentis; prius enim si voluisset, in exemplum vera Judæorum Sacramenta, nempe circumcisioem & Agnum paschalem accepisset. Dicit Amesius, nimium confidere est abuti Sacramentis. Distinguitur; est abuti propriè tanquam medio & instrumento, negatur; impropriè, reddere tanquam objectum pravi affectus, conceditur. Ex his ergo constat, argumentum istud nihil facere contra nos. Tum quia Apostolus non dicit, Hebræos eandem nobiscum manducasse escam. Tum quia manna & aquam è petra profluentem non vocat spirituales, quasi essent Sacramenta. Tum quia idem argumentatur à minori ad majus in hunc modum: si Judæi puniti sint, quod ingrati spreverint figuras nostrorum Sacramentorum, quare iustus Christiani punientur, si ipsa Sacramenta contemnunt. Videri potest Tirinus in cit. locum, quem breviter & bene explicat.

XI. Ad 2. negando, quod in hoc argumento assumitur, nimirum circumcisioem à prima sua institutione habuisse promissionem gratiæ annexam; nec in illis verbis (*ero DEUS tuus, & semini tuo post te*) continetur promissio remissionis peccatorum gratiæ, & gloriæ, sed tantum peculiaris Protectio & Beneficentia DEI erga Abraham & Posterum ejus; etenim remissionem illam peccatorum & gratiam Abraham jam ante habuerat, & permulti ex semine Abrahami finaliter habituri non erant; unde dicta Matthæi 22. & Ephes. 2. v. 12. nihil faciunt ad rem, videantur, quæ ad initium de Sacramentis §. 14. diximus, ubi hanc ipsam objectionem dissolvimus. Ad 3. negando consequentiam. Nam universim loquendo de promissionibus Christi & gratiæ per eum dandæ, utique istæ spectant ad utrumque Testamentum, ita ut tam in veteri quam Novo omnis gratia ex meritis Christi proveniret; assecurationes tamen harum promissionum seu Sacramenta ex divina voluntate non significant gratiam prædictam; sed Antiquæ Legis Sacramenta significabant gratiam Christi dandam in novo Testamento: Novæ autem Legis Sacramenta significant reipsa dari gratiam ritè dispositis. Unde pulchrè Augustinus super Psal. 73. recens cit. *alia, inquit, sunt Sacramenta dantia salutem: alia promittentia Salvatorem. Sacramenta novi Testamenti dant salutem: Sacramenta veteris Testamenti promittunt Salvatorem.* Si Gerhardus speciatim de promissionibus in Evangelio loquatur, argumentum profus nullum est, cum Christus nihil circa Antiquam Legem aliud intenderit, quam ut figuras & vaticinia de se impleret.

pleret, & finem eidem imponeret. Videri possunt, quæ diximus in Controvers. de essentia sacramenti. Ad 4. malè supponere Gerhardum in argumento, transfusum Maris rubri, columnam nubis seu commorationem sub ista, eruptionem aquæ de petra, ac potionem &c. item sacrificia quælibet fuisse Sacramenta, & ad remissionem ac justificationem valuisse, quod minimè probat; ad textus enim allegatos sufficit, quod aliquo modo præfiguraverint Sacramenta Baptismi & Eucharistiæ, Et mirum sanè, Novatorem, qui Sacrificium novi Testamenti incruentum a deo explodit, sacrificia tamen cruenta extollere, immemorem dicti illius Apostoli ad Hæbr. impossibile esse, Sacrificijs & ablutionibus Judæis remitti peccata. Videri potest Tanner Tom. 4. D. 3. Q. 1. dub. 1. ubi aliquos Doctores allegat asserentes, aliqua Sacramenta etiam pro peccato non fuisse Sacramenta.

XII. *Error secundus.* Circumcisio efficax fuit medium gratiæ, ac data, ut justificaret. Ita citati Sectarij. Probat 1. D. Paulus Coloss. 2. v. 12. Circumcisioni & Baptismo idem tribuit, dum eandem gratiam Circumcisionis & Baptismi designat. 2. promissio terrena Circumcisioni addita fuit figura promissionis spiritualis & cælestis dandæ illis, qui non carne sed corde circumciderentur, idque Fideles Vet. Testamenti intellexerunt. Ergo Circumcisio fuit ipsis efficax medium gratiæ & salutis. 3. Homo per contritionem prius justificatur, quam ad Sacramenta accedat, inde tamen Pontificij non admittunt, Sacramenta non justificare. Ergo nullum est hoc eorum argumentum: Abraham justificatus est in præputio. Ergo non per circumcisionem 4. Aliqui Catholici Bonaventura, Alenfis, Scotus, Durandus, Gabriel &c. Circumcisioni tribuunt vim conferendi gratiam ex opere operato, quos idcirco Bellarminus Lib. 2. de Sacram. in com. c. 17. Lutheranae sententiæ suffragari fatetur.

XIII. Hunc errorem tam efficaciter, quam breviter profligat D. Paulus 1. Cor. 7. v. 19. ajens: Circumcisio nihil est. Eundem omnes etiam Catholici ex dictis priore parte hujus Controversiæ rejciunt. *Constat*, inquit Catechismus Romanus ad Parochos cap. de Sacramentis, *Excellentiorem & præstantiorem vim Sacramentis Novæ Legis inesse, quam olim Veteris Legis Sacramenta habuerunt, quæ cum infirma & nâque essent Elementa, inquinatos sanctificabant ad emundationem carnis, non anime. Quare ut signa tantum earum rerum, quæ mysterijs nostris efficiendæ essent, instituta sunt.*

XIV. Respon. ad 1. probationem. Negando assumptum. Nam etsi Apostolus verbis illis: circumcisio estis circumcisio non manu facta &c. Baptismum vocet Circumcisionem, eò quod hæc fuerit illius figura; hinc tamen non inferitur, eundem utriusque fuisse effectum. At absque ulla ratione, inquit Amesius fol. 42. asseritur, circumcisionem fuisse figuram Baptismi; Sacramentum non est signum visibilis Sacramenti. Melius regerimus, absque ulla ratione negari istud. Nunquid Agnus Paschalis fuit figura non tantum Christi in Cruce fixi, sed etiam Eucharistiæ? ita & circumcisio Baptismi. Effectus autem in adultis est prorsus diversus in Baptismo, ac circumcisio; ille enim utpote circumcisio spiritualis expoliat à toto corpore obnoxio peccatis & reddit hominem verè Spiritualem: ista verò Judaica minimè, sed particulam tantum circumcidebat, Ad 2. negan-

do consequentiam, cum vix umbra connexionis appareat; quomodo enim ex figura promissionis spiritualis & cælestis inferitur infallibiliter conjunctum medium efficax gratiæ & salutis? Cæterum per vetus Testamentum malè à Gerardo intelligitur pactum illud Legale, in quo Deus legem observantibus promissit vitam æternam. Nam S. Augustinus in sexcentis prope locis docet, Sanctos omnes, qui ante Christum vixerant, non nisi quoad Sacramenta ad vetus Testamentum spectasse, nullòque modo fuisse sub lege, sed absolute ad novum Testamentum & legem gratiæ pertinuisse; quia scilicet Sanctitatem & justitiam suam non habuerunt ex operibus legis, sed ex eo, quod in Christum futurum crederent. Videatur Bellarminus cap. 14.

XV. Ad 3. Bellarminum Lib. 2. cit. c. 13. concedere Pontificiorum doctrinam de contritione; & nihilominus valide argueri ad hominem; quia Adversarij nõ admittunt secundam justificationem. Cum ergo Abraham fuerit justificatus in præputio, utique sequitur apud sectarios, eundem postea per circumcisionem non accepisse secundam justificationem, quam non agnoscunt Ad 4. Theologos illos voluisse circumcisioni tribuere vim justificandi ex opere operato; quia non est propriè Sacramentum Mosaicum, sed legis Naturæ Joannis 7. v. 22. *Moyse dedit vobis circumcisionem; non quia ex Moyse est, sed quia ex Patribus.* Sed erraverunt; suo tamen errore patrocinati non fuerunt Hæreticis, unum ex antiquis Sacramentis extollendo ad nostratiam; quæ Sectarij deprimunt paria faciendo his nostris omnia sacramenta vetera. Quod autè Bellarminus opinioni Lutheranae consentiat, asserendo Scholasticos quosdam tribuere antiquis Sacramentis vim justificandi ex opere operato, est prorsus risu, non refutatione dignum. De reliquo quomodo Circumcisio infirmum & egenum elementum dicatur, etiamsi parvulus fuerit remedium contra peccatum originale, diximus in parte priore &c. Atque in hunc modum duo, quæ repugnare sibi videntur, pulchrè reconciliantur; scilicet circumcisionem ex se nullatenus fuisse utilem ad justificationem: nihilominus eandem extitisse in parvulis remedium peccati originalis, quod DEUS infundendo gratiam sustulit ad illius positionem, tanquam meram conditionem; quantumvis illam actus supernaturalis fuerit comitatus in Ministro Fidem in Christum per talem cæremoniam protestante; & circumcisio ut divinæ voluntatis impletio DEO placuerit.



CONTROVERS. LXVII.

DE CÆREMONIIS SEU SACRAMENTALIBUS.



Cæremonia, generatim loquendo, est Actus Religionis, quo DEUM colimus, in qua latitudine eam hic non attendimus, sed solum ut ad Sacramenta septem spectat; sunt autem duplices cæremoniae in Sacramentis; quædam intrinsecæ & substantiales, quæ sunt ipsa Sacramenta, de quibus hætenus: quædam extrinsecæ, quæ à Doctoribus definiuntur: circumstantiæ religiôsæ ad decentem